F R A N C I S C V S

miserat. diuina tit. S. Agathæ S.R.E. Diac. Car.lis BARBERINVS, pt.æ ac Ven.lis Archicon.tis CONFALONIS de Vrbe Protector, CAROLVS BARBERINVS,

PROSPER CAFFARELLVS vtriusq; Signaturæ S.mi D.N. PAPAE Referendarius, RAPHAEL CASALIVS, & PETRVS ALBERVS CVSTODES.

Dilectis Confratribus Confraternitatis S.tæ CRVCIS alias vulgo dictæ dels Blanchs Disciplinantiũ erectæ fundatæ in Eccl.ia S. Gauini Villæ de Aydomajor dioecesis Arboren. salutem in Domino sempiternam. Nos qui iuxta officij nostri debitum fidelium salutem, ac pietatis, & religionis progressum procurare debemus, libenter Archiconfraternitati nostræ alias eiusdem instituti Confraternitates adiungimus, & aggregamus, illisq; sic aggregatis, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta iuxta facultatem nobis à Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum Ill.mus et Adm. R. D. ANTIOCVS STVPA I.V.D. eiusdem Confraternitatis Confrater, & Procurator aggregationem huiusmodi, & Indulgentiarum communicationem enixè postulauerit, Nos Protector, & Custodes præfati totam ipsam Archiconfraternitatem repræsentantes, fe. re. Clementis Papæ VIII. Constitutioni super huiusmodi aggregationis, & cœlestis Ecclesiæ thesauri communicationis moderatione nuper editæ inhærendo, his nostris literis, solo Dei amore, & pietatis, ac Religionis augendæ zelo ducti Confraternitatem prædictam canonicè, vt superius erectam accedentis Ordinarij loci consensu, ac literis testimonialibus, quibus eius institutum, pietas, & religio commendatur, nostræ Archiconfraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in dicta VILLA concessa, & huiusmodi concessionis tempore alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apostolicam nobis concessam adiungimus, & aggregamus, atque illi, eiusq; Confratribus Indulgentias, & spirituales gratias infrà sigillatim descriptas nostræ Archiconfraternitatis literis Pontificijs nominatim, expressè, & præcisè concessas elargimur, & communicamus; Quarum tenor sequitur, de verbo ad verbum. PAVLVS PP. V. Ad perpetuam rei memoriam. Cum certas Archiconfraternitati Confalonis de Vrbe Indulgentias, & gratias spirituales, quibus in posterum fruatur, duxerimus præscribendas: Idcirco omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes eidem Archiconfraternitati, & illius Confratribus, hactenus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas reuocantes, & annullantes, ac nullius roboris, & momenti in posterum à data præsentium fore declarantes; De Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate cõfisi, Omnibus vtriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi, Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & pro salute Rom. Pontif. Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam; In mortis quoque articulo eisdem vtriusque sexus nunc, & pro tempore Confratribus, qui pœnitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint, saltem contriti nomen IESV ore, si potuerint, sin autem corde deuotè inuocauerint, & animam suam Deo commendauerint, etiam Plenariam. Ac tàm ipsis iam descriptis, quàm pro tempore describendis in dicta Archiconfraternitate Confratribus similiter pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam, seù Oratorium Beatæ Mariæ Confalonis in festo Assumptionis eiusdem B. Mariæ Virg. quod esse principale ipsius Archiconfraternitatis asseritur à primis Vesperis vsque ad occasum solis diei eiusdem festi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi, vt præfertur orauerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem vtriusq; sexus Confratribus, qui confessi, & contriti in Purificationis, Annunciationis, & Natiuitatis eiusdem B. Mariæ festis diebus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & vt præfertur orauerint, quo die prædictorum id egerint septem annos, & totidem quadragenas, Qui verò in festiuitatibus Natiuitatis Dñi Nostri IESV Christi, Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes sacram communionem sumpserint, & Ecclesiam, seù Oratorium huiusmodi in dictis festiuitatibus visitauerint, & orauerint, vt præfertur, quo die prædictarum festiuitatum id egerint, similiter septem annos. Necnon eiusdem Confratribus, & Consororibus, qui pœnitentes, & Confessi Ecclesiam B. MARIAE de Aracæli, & Capellam S. Helenæ de Vrbe in festo Epiphaniæ, in quo dicta Archiconfraternitas eleemosynam puellis matrimonio collocandis solemniter dare consueuit, visitauerint, & orauerint, vt præfertur similiter septem annos. Qui verò in die festo S. Luciæ verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & eo die Ecclesiam eiusdem S. Luciæ visitauerint, et vt præfertur orauerint etiam septem annos, & totidem quadragenas; & vlterius eisdem Confratribus, & Consororibus, qui contriti animum tamen suo tempore confitendi habentes S. Mariæ Magdalenæ, & SS. Petri, & Pauli Apostolorum Ecclesias in earum respectiuè festiuitatibus visitauerint, quo die festiuitatum id egerint, quinquaginta dies. Ijs verò, qui pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti Ecclesiam S. MARIAE Maioris de Vrbe die festo B. MARIAE ad Niues in quo puellis collocandis matrimonio eleemosynam simili modo largitur à primis Vesperis vsq; ad occasum solis diei eiusdem festi singulis annis deuotè visitauerint, & vt præfertur orauerint, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties verò Confratres, & Consorores Coronam à S. Bonauentura institutam in secunda feria cuiuslibet mensis & in die Commemorationis Defunctorũ pro eorundẽ defunctorũ animabus recitauerint, vt ijsdẽ animabus per modũ suffragij triũ annorũ, & totidẽ quadragenarũ Indulgentiã applicare possint, concedimus. Necnon eisdẽ Confratribus, & Consororibus, qui contrito, & animũ suo tempore confitendi habentes Coronam Dñi singulis diebus Dominicis deuotè recitauerint, centum dies pro qualibet vice. Qui verò eandem Coronam quotidie, vt præfertur recitauerint, quinquaginta dies pro qualibet vice. Ac ijsdem Confratribus, & Consororibus, qui alias Confraternitates aggregatas, earumq; Confratres, & Consorores in hospitijs processionaliter receperint, illasq; ad Ecclesias associauerint, & illis mensæ accumbentibus ministrauerint, vnum annum, & totidem quadragenas. Illis verò, qui Ecclesias Vrbis in diebus, in quibus sunt Stationes visitauerint, & ibi vt supra dictum est, orauerint, seù etiam eandem Coronam dixerint pro animabus Defunctorum, vt ijsdem animabus prædictas Indulgentias per modum suffragarij applicare possint, similiter concedimus. Insuper eisdem vtriusq; sexus Confratribus, qui contriti, & suo tempore confitendi propositum habentes processioni eiusdem Archiconfraternitatis deuotè interfuerint, seu etiam qui Missæ, et Diuinis officijs in Oratorio dictæ Archiconfraternitatis, pro tempore celebrandis, et recitañ. singulis diebus similiter interfuerint centum dies; necnon ijs, qui contriti, vt supra Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint quinque annos, et totidem quadragenas. Qui verò Corpora defunctorum dictæ Archiconfraternitatis ad sepulturam associauerint, seu anniuersarijs eorundem Confratrum defunctorum interfuerint, & pro ijsdem animabus pias ad Deum preces effuderint centum dies, & qui pauperibus, & miserabilibus personis subuenerint, aut pacem cũ inimicis proprijs, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procurauerint pro quolibet prædictorum operum similiter centum dies de iniunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præterea eidem Archiconfraternitati, vt Cõfraternitates aggregare, illisq; supradictas omnes Indulgentias, & gratias spirituales (seruata tamẽ forma præscripta in Constitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri super dictarum Confraternitatum aggregationibus edita) cõmunicare liberè, & licitè possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ facultatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque: Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Octobris M. DC. VI. Pontificatus nostri Anno Secundo, Quibus omnibus Indulgentijs, ac spiritualibus gratijs supra sigillatim descriptis Confraternitas ipsa, eiusque Confratres vti, potiri, ac gaudere possint, iuxta prædictam fel. rec. Clementis Papæ Octaui Constitutionem, cuius tenor sequitur, modo, & forma, prout infra videlicet.

CLEMENS PAPA VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Quæcumque a Sede Apostolica ad promouendam Christifidelium salutem aliquando concessa sunt, & si eã maturo consilio, magnaq; prudentia, & cautione sancita, & decreta sint; tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus progressu temporis animaduertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & decretis obseruandis prouenire; debet pro sui Pastoralis officij munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio prouidere. Cum itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsan etiam à Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & institutis, ac etiam Christifidelium laicorum Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diuersarum Nationum, nominum, & institutorum, tàm in Alma Vrbe nostra, quàm in alijs Ciuitatibus, & locis Christiani Orbis institutis facultas erigendi, & instituendi in eorum, & alijs Ecclesijs, & Collegijs, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Vrbe, & in alijs locis existentes eisq; priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectiuè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis seruari debeat; propterea siue negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum, & Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium, & communicantium, quæ Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationem priuilegiorum, indulgentiarum, aliarumq; gratiarum prædictarum fiunt non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus seruari debitam, neque præscribunt modum, quo priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant; seu ipsarum Confraternitatum, & Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet, vt illa consequantur, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserunt, multaq; incommoda inde prouenerunt, quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicæ sollicitudinis officio, paternaq; erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura decernimus, atque statuimus, vt in posterum tàm huius Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regularium Ordinum, & Religionum, & Institutorum, quibus in eorum, & quibuscumque alijs Ecclesijs, & Collegijs Confraternitates secularium erigendi, & instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cuiuslis Nationis, nominis, & instituti illæ sint, & in quibuscumque Ecclesijs, Domibus, & Oratorijs, tàm secularium, quàm vt præfertur quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quauis tàm Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ, existant, seu alias quouis modo introductæ reperiantur, quibus aliàs Confraternitates, & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisq; priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi, & communicandi potestas à Rom. Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel à Nobis, & Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alij Officiales, seu Superiores quouis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & Institutorum vnam tantum Confraternitatem, & Congregationem de consensu tamen Ordinarij loci, & cum literis eius testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendetur, in eorum, & quibuscumque alijs Ecclesijs, & Collegijs erigere, & instituere, cæterarum verò Archiconfraternitatum, & Congregationum in singulis Ciuitatibus, Oppidis, vel locis, etiam vnam Confraternitatem, & Congregationem duntaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi eiusdem, vel alterius Nationis, nominis, & instituti aggregata sit, præuio similiter loci Ordinarij consensu, & cum eius litteris testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis, & Congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consueuit apud eos, commendentur, sibi adiungere, & aggregare possint: huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in specie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valeant. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes Priuilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus & semper subiecta remaneant. Insuper volumus, & ordinamus, vt prædicti Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, & communicantia, necnon Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis nouissimè approbatam diligenter obseruent, secundum quam Priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expressè, non autem per communicationem neque ad instar, vt supra concessa ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt communicare possint, quibus Confraternitates, & Congregationes eiusdem duntaxat Nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, & instituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm in posterum aggregandæ vtantur, potiantur, gaudeant, ita vt dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, & quibus communicationes factæ sunt, Ministri, Officiales, & alij supradicti, Priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta huiusmodi, præuia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo, illa, iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant: quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis eleemosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes tàm Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum quorumcumque iuxta modum à Vicario Vrbis, & ab Ordinarijs locorum respectiuè præscribendum obseruare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quàm Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios vsus arbitrio eiusdem Vicarij nostri in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum respectiuè fideliter exponere atque rogare procurent, vt omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesauros, non quæstus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia ex Apostolicæ Sedis benignitate Christifidelibus aperiri. Præterea volumus, vt Confessarij, qui vigore priuilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt, sæculares scilicet in Alma Vrbe à prædicto Nostro Vicario, extra Vrbem verò à locorum Ordinarijs, Regulares autem non solùm à prædicto Vicario nostro, & à locorum Ordinarijs respectiuè, sed etiam a suis Superioribus approbati sint, vtque Confessos confitentes à criminibus, casibus, & censuris, iuxta dictorum priuilegiorum (quatenus tamen sint in vsu, & Sacri Concilij Tridentini decretis, ac Rom. Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint) formam, & tenorem duntaxat absoluere valeant. Decernimus insuper, vt ijdem Confessarij prædictos Confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota digni fuerint, à casibus contentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi consueuerunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, & vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam ex causa, & licentia concessa abutentes prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus iniectionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab alijs etiam casibus tàm à Nobis, quàm à prædicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excommunicatione ab homine lata absoluere, & super irregularitatibus, tàm ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint. Demum statuimus, & pariter ordinamus, vt Confraternitates, & Congregationes vbiuis locorum, quauis auctoritate, vt præfertur, erectæ, & institutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuiuscumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus vbilibet existentibus hactenus aggregatæ ab eisdem respectiuè Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus nouas erectionum, institutionum, communicationum, & aggregationum litteras, iuxta formam à Nobis nouissimè approbatam, infra annum, si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur: alioquin dicto tempore elapso, Erectiones, Institutiones, & quæcumque communicationes priuilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliorumq; spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ nullius sint roboris, & momenti, ac reuocatæ, & abolitæ censeantur eo ipso. Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum, tàm hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum litteræ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus gratis omnino, & nulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta expediri, & concedi debeant. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, & Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum huiusmodi, quauis auctoritate, vel priuilegio, & officio fungantur, & præfulgeant contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, Erectiones, Institutiones, & communicationes priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, spiritualiumq; gratiarum, & indultorum, aliorumq; præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renouandæ, nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum priuationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio quàm à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso. Decernentes præsentes litteras perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari debere, sicq; nostræ mentis, & intentionis existere, & ita, & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, Religionum, & Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum secularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, ac Bulla aurea nuncupatis Regularibus Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, Congregationibus, & Confraternitatibus secularium, eorumq; Superioribus, & alijs quibusuis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existentibus sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret illorum tenores, ac si ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Vt autem præsentes litteræ ad omnium, quos concernunt, notitiam facilius deueniant, volumus illas ad Valuas Basilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atque ijs inde amotis, earundem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaq; publicatione huiusmodi omnes Regulares Ordines, Religiones, Instituta, & Archiconfraternitates, Congregationes, & Confraternitates secularium, quæ in Vrbe quidem post mensem, quæ verò in Europa, post decem menses, quæ demum extra Europam fuerint, post octodecim menses à die publicationis huiusmodi computandos perinde afficere, & arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent. Et nihilominus vt ipsæ præsentes litteræ notiores fiant, magisq; omnibus innotescant; Vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per easdem præsentes committimus, & mandamus, vt per se, vel alium, seu alios hasce nostras litteras, postquam earum exemplum receperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries prout eis magis expedire visum fuerit, in suis Cathedralibus, & maioribus respectiuè Ecclesijs Ciuitatum, Oppidorum, & locorum quorumcumque eorum Diœcesium, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, ac faciant. Cæterum, quia difficilè foret, easdem præsentes ad singula loca, vbi opus esset, deferri, volumus, & simili auctoritate decernimus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem vbique fides habeatur, quæ ipsismet litteris haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die vij. Decembris M. DC. IIII. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo. Volentes, & decernentes præsentibus literis nostris eandem fidem adhibendam esse quæ præsentibus literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. In quorum omnium, ac singulorum fidem, & testimonium has Literas nostras fieri, & per nostræ Archiconfraternitatis Secretarium nostrum subscribi, & publicari mandauimus, ac Sigillorum ipsius Protectoris, & Archiconfraternitatis iussimus, & fecimus appensione muniri. Dat. Romæ in loco solito nostræ Congregationis, Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi M. DC. XXIX. Indictione XII. Die vero Trigesima Mensis APRILIS Pontificatus Sanctiss. D. N. D. VRBANI Diuina prouidentia Papæ OCTAVI Anno SEXTO. Præsentibus ibidem Nobilibus Viris DD. [illegible]

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ. Superiorum permissu.

[illegible]

Carolus Barberinus Custos

Prosper Caffarellus Custos

Raphael Casalius Custos

Julius [illegible]ellus secretarius